

vniuersis, quod anno Domini mccc quinquagesimo secundo die veneris in ebdomada pentecostes in presencia nostra Lundis vir nobilis dominus magister Jonas Nicholai, dictus Litle, Lundensis et Roskildensis ecclesiarum canonicus, personaliter constitutus dilecto nostro Lundensi capitulo curiam in Biærnekulle sitam, in qua ad presens residet Tosto Basse, cum agris, pratis, pascuis, domibus, estimacionibus, pensione adhuc in eadem curia existente ceterisque ipsius curie attinenciis, mobilibus et immobilibus, propinquis et remotis, quibuscunque censeantur nominibus, pro aniuersario dilecti fratris sui domini *Johannis Niclæsson*, quondam militis, annuatim in choro Lundensi celebrando dimisit, contulit libere et scotauit iure perpetuo possidendam, scotacionem huiusmodi viro discreto domino Karolo Jøsepsson, canonico nostro Lundensi, nomine dicti capituli nostri reuerencia, qua decuit, acceptante, prouiso quod ipso die aniuersarii predicti collecta pro ipso domino Jona quamdiu in humanis agente et post pro eo defuncto, que congruit, habeatur. Preterea decreuit memoratus dominus Jonas dicte curie pensionem per modum, qui sequitur, diuidendam. Primo quod medietas ipsius quantacunque canonicis, qui vigiliis et misse tempore dicti aniuersarii interfuerint, ministretur. Residua vero dimidietate in duas partes diuisa unam habeant vicarii, qui vigiliis et misse memoratis interfuerint. Alia vero pars seu portio, que est quarta totius integri, scilicet pensionis prefate, inter pauperes scolares diuidatur, excepta et deducta prius vna ora denariorum Scanensium, que in turri pulsantibus tribuatur. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum et sigillum ipsius magistri Jone presentibus sunt appensa. Datum ano(!), die et loco supradictis.

Öfverskrift: Aniuersarium domini *Johannis Niclæsson* militis de vna curia in Byernekmale.

4821.

1352 Juni 1.

Magnus Holmgersson, kanik i Västerås, utarrenderar till Nils Bengtsson sin gård Borshult i Lemnhults församling på åtta år.

L. Sparres afskr. saml. i Sv. Riksark., sign. J 6, fol. 156.

Omnibus præsens scriptum cernentibus Magnus Holmgersson, canonicus Aro-siensis, æternam in Domino salutem. Noverint vniuersi me dilecto mihi in Christo viro discreto Nicholao Benedictsson curiam meam in Byrsshult parochia Limandahult cum coloniis eorumque adiacentiis quibuscunque, prope positis vel remote, sub titulo locationis in octo annorum termino assignasse, conditione tali quod mihi tres marchas denariorum vsualium in quolibet anno reddere obligatur, et sibi (o: si sibi?) aliquam emendam domorum in eisdem bonis desolatarum fecerit, sibi vel suis hæredibus in tanto ædificio (o: ædificio) et emenda domorum satisfaciam honestorum virorum consanguiniorum et amicorum consilio et consensu; de cetero quod ipse prædicta bona cum suis adiacentiis quomodolibet nominatis habeat infra octo annos continuos ex parte mea vel hæredum meorum irrevocabiliter ordinanda, et modo consimili dictus Nicolaus et hæredes sui mihi hæredibusque meis satisfacere debeant in præmissis. Scriptum anno Domini mccccl secundo feria sexta in hebdomada pentecostes sub sigillo discreti viri *Johannis Brudzson* vna cum proprio in evidentiam firmiorem etc.

Sigillen: n. 1 (4-styckad sköld): ingen omskrift; n. 2 enligt ritningen borta.